

VIRO

PERMAGNIFICO MAXIME STRENUO
GENEROZO AMPLISSIMO CONSUL-
TISSIMOQVE DOMINO

DOMINO

IOANNI IACOBO
MOELLERO

PRAECONSULI ECCLESIARVM CURATORI
PTOCHOTROPHII MAGNI PRAEFECTO
VICE PRAESIDIS ET PVPILLORVM TUTORIS
SVPREMI CVRA DEFVNCTO

D. XXVII. MART. MDCCCLIX

SPLENDIDA ET DIGNISSIMA

P R A E S I D I S

MUNIA. OBEVNTI

NOVAM DIGNITATEM


SUBMISSÆ GRATVLANTVR

M V S A E ELBINGEN S E S
COMMUNES ANIMORVM ADEFFECTONES

EXPO NENTE

G OTTLIEB THOMA ACHENWALL

GR. ET HEER. LINGV. PROF. EXTR. ET R. M. C.



Creduntur fausti lenis quibus obtigit illa
Vivendi ratio ut curis ingentibus usque
Muneris & paeclari immunes mole perenni
Vitae privatae alma libertate fruantur,
Quos dulcis saturat requies, queis transfluit aetas
Per tacitum & strepitum sine transit vita diesque.
Censentur contra minus aequa forte dolendi,
Qui caput attollunt alios inter venerandum
Et celso positi reliquis sunt fulcra salutis
Muneribusque graves graviores pectore curas
Versantes ingente illarum mole premuntur.
Attamen expectant operosas praemia curas
Officiique laborem ingratum grata voluptas.
Si mentes hominum vero recreantur honore,
Si placuisse bonis licita est & grata voluptas,
Si nomen bene factis augustumque manensque
Semper erit votum desideriumque decorum:
Sunt fortunati penes est quos magna potestas
Quaeque viam patulam ad templum concedit honoris
Vestitu squallente casisque abscondita virtus
Exornis tenui tantum splendore refulget

At soliis residens, pretioso insignis amictu
Ordinis externi, primatum indutaque formam,
Longe diffuso nitido splendore coruscat
Multorumque oculos mirantes attrahit in se
Atque sibi gignit nomen post fata superstes.
Praemium at & melius virtutem & certius aequa
Oblecat, si cura ipsi commissa salutis
Asservandae illorum, queis bene vult Deus ipse
Et qui sunt felix divinae mentis imago.
Utilis est aliis dum, sedula commoda eorum
Promovet & laeto auxilio propugnat inermes;
Ipsa sibi prodest, alios potuisse juvare
Exsultat parte inque illorum gaudia sentit.

Aggrederis magnos, SVMVM VENERANDE PATRONE,
Dotibus eximiisque animi dignos TVI honores;
At magnos etiam perdifficilesque labores:
Dum PATRVM consensu urbis moderamina prendis.
Gaudia concipiunt devota mente Camoenae
Non fictosque edunt hilari de pectore plausus;
Assiduo dum TE pergentem tramite cernunt,
Quo virtus, sapientia TE fortunaque ducunt,
Et pia solventes gradientem vota sequuntur.

TE Deus omnipotens, rerum cui sola potestas,
Omnia qui imperio aeterno nutuque gubernat,
Per quem sceptra tenent reges, dant jura potentes,
Esse instrumentum felix concedat amoris
Antiqui & memoris curae in nostra urbe videndae.
Ipse TVAE clemens praesit curaeque opera eque,

Res occultantes & spissa nocte tegentes,
Confiliisque tuis expectato auxilio adsit;
Ut privata salus cuiusvis publica & urbis
Ex voto conservetur civisque tuoque
Et tu ex successu capias nova gaudia semper
Confiliorum urbis charae quae commoda spectant.
Gloria virtutis solita umbra comesque fidelis
Egregie tua consueto pede facta sequatur;
Ut socialis amor parium & reverentia digna
Inferiorum, animos conjungant foedere firmo
Muneris atque levent operosa negotia magni,
Sis seraque imitandum exemplar posteritati
Virtutum quae splendescientis luminis instar
Personas procerum nomenque coloribus ornant
Iucundis & amabilibus nunquamque admendis.

Te moderante salus totius floreat urbis,
Praefide te cuncti jucunda pace fruantur
Et laeti curis resoluti jubila cantent.
Ac in te Venerandi Numinis effluat ipsum
Gratia fortunans, meritis tibi praemia digna
Retribuat vitae diuturna messe legenda,
Te signum exemplumque suae priscae bonitatis
Omnibus admirandum oculis nos collocet inter.
Atque bonis cumulet te ut prosperitate fruaris
Omnigena ac semper facilis tua vota secundet.
Rideat & domui generoso stemmate clarae
Deliciisque tuis vultu fortuna sereno
Prosperitasque ejus multos mansura per annos